

« matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse (7). »

Haec de matrimoniis haereticorum inter se relate ad impedimenta *in genere*, brevissimo hoc articulo innuisse sufficiat: at nominatim quod attinet ad impedimentum clandestinitatis a conc. Tridentino constitutum non brevis, neque omnino facilis erit disceptatio, quam distinctis articulis solvendam aggredimur.

ARTICULUS II. — Nominatim quoad impedimentum clandestinitatis, quaestio enodatur iuridica: an clandestina Matrimonia sive mixta, sive haereticorum sint irrita.

Decretum Tridentinum *Tametsi* (sess. XXIV. cap. I. de ref. matrim.), de quo in priori libro late egimus magnam in legislatione de matrimonio christiano mutationem inexit, ac merito peculiarem attentionem etiam hoc loco sibi vindicat. Impedimentum dirimens clandestinitatis eo decreto constitutum ex ipsa declaratione concilii non obligat nisi in paroeciis fuerit publicatum: hinc matrimonia non modo mixta et haereticorum, verum etiam catholicorum, eo impedimento non tenentur, ubi publicatio quacumque de causa facta non fuerit. At quaestio est implexa et salebrosa an eo impedimento invalida censi debeant clandestina matrimonia sive mixta sive haereticorum iis in locis contracta, in quibus Tridentinum decretum fuerit publicatum, et in quibus modo haeretici vel dominantur, vel sub principibus etiam catholicis suos habent ministros, suaque templa, ac coetus propriae communionis, ut vocant, constituunt, adeoque ne cogitantes quidem de forma Tridentina, more suo ineunt coniugia.

Famosa est hac in controversia declaratio atque concessio Benedicti XIV. circa matrimonia Hollandiae, quae data fuit die 4. Novemb. an. 1744. quaeque sic se habet: « Quod attinet » ad matrimonia ab haereticis inter se in locis foederatorum » ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per

(7) In allegato brevi ad archiep. Moguntinum loc. cit. p. 94.

» Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, » alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc » expositis circumstantiis, sacram congregationem concilii pro » eorum invaliditate respondisse; aequae tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi » matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum, et alioquin » oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis » locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, » quid generaliter de hisce matrimoniis censendum sit, declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit *canonicum impedimentum* (8), pro validis habenda esse, adeoque si contingat, utrumque coniugem ad catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem, quo antea, coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parochio catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus, sive masculus, sive foemina, convertatur, neutrum posse, quandiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire (9). »

Eadem porro declaratio atque concessio ad plures regiones apostolica auctoritate extensa fuit; adeoque ubi constet, vel Tridentinum decretum non fuisse publicatum, vel deinde Benedictinam declarationem et concessionem datam fuisse, ibi certe haereticorum connubia, sine catholici parochi praesentia celebrata, valida censi debent.

Quaestio est historica et practica ubinam Tridentinum decretum fuerit nec ne publicatum, et ubinam apostolica concessio et

(8) Haec verba confirmant illud, quod in praeced. articulo statuimus, impedimentis canonicis etiam haereticos teneri.

(9) In Bullar. Bened. XIV. tom. I. pag. 87 seq.

declaratio, seu dispensatio extensa sit, nos hac de re plura monumenta in apposito articulo afferemus. At modo agitanda est quaestio iuridica, an valida sint haereticorum coniugia nec non coniugia mixta iis in locis, in quibus Tridentinum decretum publicatum rite fuit, et quibus nulla favent apostolicae Sedis indulta. Haeretici quidem coniuges sive sub haereticis principibus, sive etiam sub catholicis versentur, ne cogitant quidem debere se iuxta formam Tridentinam coram parochio catholico coniugium inire: dicendum ne erunt ea omnia coniugia nulla, irrita, invalida esse? coniuges eiusmodi haberi ne debebunt ut concubinari ac fornicarii?

Quam durum hoc dictu videatur, nemo est qui non sentiat. Nil mirum proinde si in discrepantes sententias theologos canonumque interpretes concedere videamus, aliis propugnantibus valorem coniugiorum, de quibus agitur, sive haec sint mixta, id est inter catholicos et acatholicos, sive inter acatholicos invicem inita aut ineunda, aliis vero negantibus. Ut in re tanti momenti ea qua par est perspicuitate progrediamur, hanc methodum consectabimur: prius auctores, saltem praecipuos, recensebimus, qui pro illorum coniugiorum valore pugnant una cum fundamentis, quibus suam fulciunt sententiam; deinde commemorabimus pariter praecipuos auctores, qui contrarium placitum consectantur una cum rationum momentis, quibus innituntur. Crisin denique argumentorum utriusque partis instituemus, et quid nobis verisimilius sentiendum videatur, aperiemus. Distinctis paragraphis rem omnem absolvemus.

§. I.

Illorum argumenta, qui pugnant pro valore coniugiorum clandestinorum, quae sive celebrantur inter catholicos et acatholicos, sive inter solos acatholicos in locis, in quibus publicatum est decretum Concilii Tridentini, proferuntur.

Haud pauci, ut innuimus, sive theologo sive iuris canonico periti pro valore certant coniugiorum, quae mixta dicuntur, aut eorum, quae acatholici ineunt inter se iis in locis, in quibus

Tridentinum decretum aliquando rite publicatum est. Eminent inter caeteros Pichler, qui hanc sententiam affirmat esse *communiorem* inter Germaniae scriptores et *probabiliorem* (10); et reipsa allegat pro ea Dianam, Gonzalez, Tannerum, Laymann, Stalenum, Kugler. Eadem tumentur Pirhing, Marchand, Sporer, qui alios citat tredecim auctores (11), item Mayr (12), Theophylus Raynaudus (13), Van Espen (14), Antoine (15), Baston, Lamennais quos adducit Carrière (16), quibus addi debet card. Gotti (17), ut alios praeteream, de quibus postea redibit sermo.

Quaenam porro praecipua sint fundamenta, quibus innixi recensiti auctores in hanc devenerint sententiam, melius dignosci non posse videntur quam ex iis, quae refert Benedictus XIV. in op. *De synod. dioeces.* lib. VI. cap. VI. Scribit enim doctissimus pontifex, eosdem permotos fuisse primum ex mente ipsius concilii Tridentini, quod in suo decreto, ut refert eiusdem concilii historiographus, card. Pallavicinus (18), ideo conditionem publicationis in singulis paroeciis adiecit, quia absque illa ingens heterodoxorum querimoniis campus apertus foret, eoque magis aucta fuisset eorum a concilio aversio, si illius decreti vi decursu temporis uxores suas pro concubinis habere, suosque liberos illegitimos declarare debuissent; siquidem manifestum est, nunquam futurum fuisse, idque Patres ignorare non poterant, ut novum decretum ab illis acciperetur atque executioni mandaretur, eorumque matrimonia coram parochio catholico celebrarentur. Huic igitur incommodo provide occursum est per conditionem illam decreto adiectam, qua imposita

(10) *Candidatus abbreviatus iurisprudentiae* lib. IV. tit. III. n. 4. 5.

(11) *Theol. moral. De sacram.*

(12) *Iur. can. ad tit. De cland. despons.* n. 86

(13) *Heterocl. Spirit.* sect. I. *Punct.* 14. n. Opp. ed. Lugd. 1665. tom. XVI.

(14) *Ius. eccles. univ.* par. II. tit. XII. c. 5. n. 52 seq.

(15) *De matr.* par. III. num. XIII. not. 7.

(16) *De matr.* par. III. n. 1214.

(17) *Tract. De matr.* qu. VIII. dub. XI. §. 5. n. 22.

(18) *Lib. XXII. cap. 8. n. 10.*

fuit illius publicationis necessitas, ita ut in locis haeticorum, in quibus proculdubio nunquam huiusmodi publicatio fieret, non verificata conditione, a qua concilium pendere voluit decreti sui efficaciam, nec incolae haetici unquam adstricti forent servandae formae in ipso decreto praescriptae (19). Ita disserebant theologi, qui in consultatione, quae habita est in sac. congregatione concilii circa valorem coniugiorum, quae in Hollandia et in foederato Belgio inter haeticos celebrabantur, pro illorum validitate pugnabant. Quapropter ut idem refert Benedictus XIV. loc. cit. n. 9., sic illi urgebant. Si nunc in proposito casu pronunciaretur pro nullitate matrimoniorum, quae ab heterodoxis illius regionis absque praesentia catholici parochi ineuntur, in omnia illa incommoda incideremus, quae Tridentini Patres laudatum decretum efformantes tanta prudentia evitare studuerunt.

Huic rationi petitae ex ipsa concilii mente aliae rationes accedunt, quas pro validitate eiusmodi coniugiorum pariter urgebant in eiusdem congregationis actis nonnulli theologi, quasque hisce verbis exponit laudatus pontifex loc. cit. : quod, si matrimonia, de quibus agebatur, irrita declararentur, si quando aliqui coniuges de abiuranda haeresi statuissent, ut ipsis liceret in coniugali societate permanere, necesse haberent consensum renovare coram parochi catholico et duobus testibus, alioquin pro legitimis coniugibus se invicem habere non possent. Quantum porro in huiusmodi consensus renovatione periculum insit, et quam gravia incommoda inde metuenda essent, enarrando pergebant. Primum videlicet quod plures coniuges, quibus

(19) Sane card. Pallavicinus loc. cit. scribit : « In fine si disponeva, che il » presente decreto avesse vigore in ciascuna parrocchia *dopo trenta giorni* dal » di della prima pubblicazione. Il che oltre ad altri buoni effetti, ne recava uno » per allora non osservato da tutti : e questo era l'ovviare all'inconveniente » ricordato dal Lainez e da altri : cioè, che fra gli eretici, i quali non ubbidiranno » a quel decreto, *niun matrimonio in avvenire sarebbe vero, e niuna progenie* » *legitima*. Si ovviava, dico, a ciò, perocchè ne' loro paesi non avrebbero essi » lasciato pubblicare il decreto; e così non sarebbero verificata la condizione » sotto la quale il concilio statuiva ch'egli obbligasse. »

catholicam religionem amplectendi desiderium inesset, illud fortasse abiicerent, utrimque metuentes, ne alter ab altero, cum quo multorum annorum spatio libenter vixisset, relinqueretur. Deinde, quod si forte vir uxori, vel uxor viro displiceret, nec alia illis suppeteret via, qua se a contracto vinculo liberarent, facillime evenire posset, ut simularent se ad catholicam fidem converti, qua sibi solutionem a matrimoniali vinculo quaerent, requisitam nempe consensus renovationem, post simulatam conversionem, alter alteri denegando. Tertium, quod etiamsi coniuges ad sanctam religionem serio ac firmo proposito converterentur, attamen fieri posset, ut praecipua causa, ad conversionem impellens, esset spes recuperandae libertatis, et abruptendi vinculi, quod ipsis ad ferendum molestissimum esset, quod ubi eveniret, nemo est qui non videat, quanti conversiones huiusmodi faciendae essent.

Sane, pergit Benedictus XIV. n. 10. quod pertinet ad timorem simulationis, de qua modo dictum est, congruit Innocentii III. responsum ad episcopum Ferrariensem, relatum in cap. *Quanto. De divortis*, ubi pontifex rogatus, num matrimonii vinculum dissolvatur, altero coniuge a catholica religione ad ethnicam superstitionem, aut ad haeresim transeunte, nequaquam dissolvi respondit; et hanc inter alias rationem affert : « *Quorundam malitiae obviatur, qui in odium coniugum, vel* » *quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu* » *dimittere, simularent haeresim.* »

Alii praeterea, nec forsitan immerito, in eo insistunt, quod impossibile prorsus esset haeticis legem Tridentinam observare; siquidem incurrerent in iram, animadversionesque ipsius sectae ministrorum, aut magistratum; ab aliis eiusdem sectae hominibus ceu irrita, vel certe ceu illicita haberentur coniugia coram parochi catholico celebrata; verum, quod caput est, ab ipsis catholicis parochis haetici contrahentes ad matrimonii celebrationem coram se non admitterentur (20).

(20) Cf. Carrière *De matr.* tom. II. n. 1214. qui allegat pro hac sententia plures theologos sive antiquiores sive recentiores. De quibus postea.

Hisce argumentis prima fronte non levibus, et alia haud spernenda accedunt: 1. est quod, ut adnotavit Benedictus XIV. in sua ipsa declaratione pro matrimoniis Hollandiae, « licet » Sanctitas sua non ignoraverit, alias in casibus quibusdam » particularibus, et attentis tum expositis circumstantiis, sacram » congregationem concilii pro eorum (coniugiorum inter haereticos) invaliditate respondisse, aequae tamen compertum » habuerit *nihil adhuc generatim et universe* super eiusmodi » matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum; » ex quo sequitur, nihil obesse, quominus quis in benigniorem sententiam inclinet, eamque complectatur.

2. Est, quod licet *per se*, atque Tridentina dispositione in rigore accepta, haec matrimonia invalida dicenda essent, tamen ex Ecclesiae tacita saltem conniventia rata haberi possint ac valida. Reipsa card. Gotti, cum sibi obiecisset sac. congregationis concilii decretum an. 1602. quo irrita haec coniugia decernuntur, subdit: « Alii tamen probabile censent illos (haereticos), » ex *tacita* summi pontificis scientia non reclamantis dispensatione, si nihil aliud obsit, valide contrahere, si contrahant » coram ministro suo, *vel* ubi consuetudo est, coram duobus » testibus. Et ratio est, quia Ecclesia eorum matrimonia *non reicit* tanquam illegitima (21). »

3. Est, quod haec Ecclesiae tacita conniventia non modo supponi potest, sed manifeste colligitur ex eiusdem agendi ratione: nam cum ambo coniuges ex haeresi ad professionem catholicae religionis se recipiunt, nunquam eos adigit ad renovandum consensum, quo illorum coniugium legitimum evadat, neque unquam permittit, ut novae nuptiae ineantur, ac si nulla ac illegitima haberet eiusmodi haereticorum connubia. Sic ex. gr. in Palatinatu Neoburgico, postquam ad obsequium Romanae Ecclesiae universa fere provincia rediit, nec ipsi coniuges subditi Palatinatus, nec episcopi solliciti fuere sive de renovandis matrimoniis, antea sine forma Tridentini contractis, sive de

(21) *De matr.* quaest. VIII. dub. XI. §. 3. n. 22.

procuranda super iis dispensatione; non alia profecto de causa, nisi quod uti valida haberentur eiusmodi coniugia. Accedit quod si alteruter acatholicorum coniugum convertatur, nunquam permittitur, ut dimissa haeretica parte novum cum catholica coniugium ineatur. Atque haec quidem agendi ratio, quae tacitam Ecclesiae conniventiam prodit, communis esse videtur.

4. Est, quod non modo constat de tacita Sedis apostolicae conniventia, verum etiam de expressa. Etenim Gregorius XVI. in Brevi ad episcopos Bavariae circa matrimonia mixta dato die 28. Maii 1832. inter caetera, haec, quae ad praesentem controversiam referuntur, edixit: « Post haec vix est, ut aliqua » addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii » inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars » acatholica haberet *viventem adhuc priorem coniugem*, a qua » *divortio seiuncta fuerit*. Nostis, ven. fratres, quanta ex divino » iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana » auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus » atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nuptiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, » irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illis vere obstitit, » canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo » hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra » dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haeretica parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium » idem fuerit irritum declaratum (22). »

In quo gravissimo documento plura sunt, quae singillatim possunt animadverti: ex eo enim constat 1. agi de matrimoniis inter haereticos initis in regionibus, quae subsunt principi catholico, cuiusmodi est rex Bavariae, in quibus tamen haeretici coalescunt in societates a catholicis separatas, adeoque suo ritu

(22) Apud Roskovány *De matrim. mixtis* 1842. tom. II. pag. 217.

matrimonia ineunt. Constat 2. eiusmodi haereticorum coniugia a Rom. pontifice tanquam firma ac valida, et propterea insolubilia haberi. Constat 3. ex iis coniugiis, non obstante civili divortio, exurgere impedimentum divinum *ligaminis*, quod quidem impedimentum exurgere non posset, nisi verum ratumque fuisset connubium sine parochi praesentia ab haereticis contractum. Constat 4. impedimenta canonica, seu iure ecclesiastico inducta ipsos haereticos afficere, adeo ut, si quae coniugia inter haereticos celebrata aliquo ex hisce impedimentis irretita fuissent, nulla prorsus essent, adeoque post ecclesiasticum hac de re iudicium novum coniugium iniri posse. Cum igitur laudatus pontifex loquatur de haereticis in regione degentibus, in qua decretum Tridentinum publicatum fuit, et quidem sub principe catholico, ac generatim tamen pro certo statuat ipsorum coniugia valida ac legitima esse, vix evidens non est, apostolicae Sedis conniventia obligationem celebrandi coniugia iuxta formam Tridentinam haereticos non afficere, adeoque practice Benedictinam declarationem ad omnia haereticorum coniugia extendi posse.

Atque hic quidem non erit abs re ea addere, quae Benedictus de semetipso scribit cum causa ageretur de valore aut nullitate coniugiorum, quae in Hollandia ab haereticis celebrabantur. « Nos quidem, inquit, cum plurium annorum spatio, » antequam ad maiores dignitates ascenderemus, munera tunc » secretarii congregationis concilii Tridentini interpretis, tum » doctoris in decretis in poenitentiariae apostolicae officio, tum » etiam consultoris supremae inquisitionis exercuerimus, memoratorum coniugiorum discussioni interfuimus, *sed nunquam opinioni illi acquiescere potuimus*, per quam praedicta » matrimonia nulla iudicantur. Quare nobis continenter in » votis erat, ut aliqua se opportunitas offerret, in qua generalis » regula et lex pro eorumdem matrimoniorum aut nullitate aut » validitate statueretur; quoniam anteacto tempore non nisi » particularia decreta in hac vel illa causa, condita erant, quae » ne inter se quidem conformia semper fuerant, propter varie-

» tatem circumstantiarum, quae modo in una facti specie » aderant, modo in altera desiderabantur (23). » Et reipsa ad pontificatum evectus suam edidit declarationem, de qua antea scripsimus.

Verum quidem est, urgent hi ipsi, qui validitatem huiusmodi coniugiorum propugnant, eam declarationem pro sola Hollandia datam esse; attamen argumenta sive motiva, quibus hic summus pontifex in ea edenda innixus est, aequae militare videntur pro caeteris haereticis ex rationis paritate.

Porro quae de coniugiis haereticorum dicunt, eadem applicant ad mixta coniugia; nimirum si haereticorum coniugia valida sunt, licet ad formam Tridentinam non celebrentur, idem dicendum erit de coniugiis mixtis, quum pars catholica eo ipso particeps censi debeat dispensationis a norma Tridentina, quae pro parte acatholica ab huius sententiae fautoribus supponitur. Fatentur utique ad Tridentinam formam etiam haereticos teneri, qui sine statu civili ac religioso forte inter catholicos versentur; at contendunt valida esse sine parochi praesentia coniugia haereticorum sive etiam mixta in regionibus, quae protestantes dici solent vel mixtae, in quibus haeretici vel dominantur vel saltem societatem efformant a catholica societate distinctam, ut in Austria, in Galliis, in Bavaria.

Recentissime hanc sententiam in Bavaria defendit Adamus Iosephus Uhrig, professor Dilingensis (24). Clandestina matrimonia tum protestantium tum mixta valida esse docet ubicumque sint societates acatholicae, innixus potissimum declarationi Benedicti XIV. *Super matrimoniis Hollandiae* die 4. Nov. 1744. nec non litteris a Pio VII. die 20. Iunii 1805. ad Napoleonem datis, tum etiam Brevi Pii VIII. die 25. Martii 1830. atque instructioni, quam die 27. eiusdem mensis idem pontifex dedit

(23) *De synodo* lib. VI. cap. VI. n. 4.

(24) In responsione, quam dedit doctori Knopp in quaestione de extensione declarationis Benedictinae circa matrimonia Hollandiae vol. 1. in-4. Dilingae 1854.

ad quatuor episcopos provinciae Rheni inferioris. Quum vero a D. Knopp impugnatus fuerit, idem professor Uhrig sententiam suam confirmavit. Animadvertit porro supponi nullo modo posse, Tridentinos Patres decreto suo voluisse protestantium etiam coniugia irrita facere, quum ea, utpote haeticorum, a catholico paroco benedici non possent, licet id protestantes coniuges postularent. Opinionem suam confirmat S. Sedis declarationibus atque Ecclesiae praxi. Quod attinet ad matrimonia mixta, ait Tridentinam legem per se esse validam, sed quum ea non sit innixa iuri naturali aut divino, sed iuri tantum positivo ecclesiastico, contendit vim suam posse amittere ex contraria diuturna consuetudine, adeoque, ut valida haberi posse matrimonia mixta inita coram ministro acatholico, ubicumque mos hic diu invaluit, uti in Hollandia atque in Germania. Iam vero in aestu controversiae hic auctor eo usque progreditur, ut contrariam sententiam, quae tamen, ut mox videbimus, unice vera est, ut omnino absurdam vehementer insectetur.

In Gallis eadem etiam sententia de validitate fautores habuit, et quoad Gallias quidem nominatim nonnulli sunt theologi, qui diversas epochas distinguunt, 1. illam scilicet, quae praecessit revocationem edicti Nannetensis; 2. illam, quae eiusmodi revocationem subsecuta est; 3. illam denique quae incoepit post edictum anni 1787. atque ad aetatem usque nostram protenditur. Nos historice ea exponemus, quae auctores quidam Galli quoad singulas has epochas tradunt.

Itaque edictum Nannetense latum est an. 1598. revocatum autem fuit an. 1685. valida fuisse protestantium coniugia ante eiusmodi revocationem plures docent Galli theologi duplici innixi fundamento; tum nempe quod haetici tunc temporis societatem constituerent religiosam cum suis templis ac ministris, in quibus Tridentinum decretum promulgatum non fuerat; tum quod tacita saltem Ecclesiae dispensatio intervenerit, quae facultatem ratam habuit protestantibus datam in articulis secretis edicti Nannetensis, quo fiebat, ut coniugia haeticorum

cum ad Ecclesiam redirent catholicam, minime renovarentur (25).

Quoad alteram epocham vero, quae complectitur totum illum temporis tractum, qui protrahitur ab an. 1685., quo edictum Nannetense revocatum est, usque ad an. 1787. iidem auctores, qui steterunt pro legitimitate eiusmodi coniugiorum ante huius edicti revocationem, fere consentiunt in iisdem respuendis tanquam irritis post edicti revocationem. Cuius assertionis momenta praecipua sunt, quod cum haetici non amplius fruerebuntur civili statu, subiecti erant illis paroeciis, in quibus morabantur, ideoque ad formam servandam Tridentinam adstringebantur, cum in illis concilii decretum publicatum fuisset. Quod si alicubi nuptiae aliter quam iuxta praescriptam formam initalae ab haeticis fuissent, cum ad Ecclesiam catholicam redibant, istorum connubia instaurabantur (26). Exinde plures exortae illa aetate fuerunt controversiae, quas pertractant illius temporis in Gallia theologi, praesertim cum revocatione edicti Nannetensis cessaverit erga haeticos in Gallia degentes conniventia, sive tacita apostolicae Sedis dispensatio.

Circa tertiam epocham, quae desinit in annum 1787., quo Ludovicus XVI. iura civilia protestantibus in Gallia iterum concessit, ita tamen ut distinctam seu separatam communitatem non efficerent (27), usque ad aetatem nostram variae extiterunt theologorum in Gallis sententiae. Nec mirum ob tot in regno illo exortas perturbationes, atque idcirco etiam ob leges sibi invicem succedentes. Nam in ipsis Gallicae perturbationis initiis libertas absoluta cultuum promulgata est. Postea vero,

(25) Ita *Collat. Paris.* tom. III. lib. IX. conf. 1. §. 5. pag. 208. *Collat. Andegav.* VI. conf. Sept. 1724. 2. quest. pag. 215. eiusque continuator tom. IX. bis pag. 334. Bouniol *La voix du vrai patriote* p. 172. Juvenin *De sacram.* diss. X. q. V. c. IV. pag. 15. Van Espen p. III. tit. XII. c. V. 17. Gohard *Traité des bénéfices* tom. VII. p. 175. apud Carrière op. cit. tom. II. n. 1228.

(26) Carrière ibid. n. 1229. qui tamen cum Collet excipit protestantes Alsaciae, cum pluribus in locis huius provinciae conc. Tridentinum non fuerit promulgatum.

(27) Cf. Hunc actum ibid. n. 1230.

nimirum anno 1792. constitutum ut coniugia indiscriminatim omnia sive catholicorum sive acatholicorum coram solo magistratu seu officiali civili celebrarentur, eaque uti valida haberentur.

Duplex exinde orta opinio circa legitimitatem coniugiorum, quae toto hoc tempore ab acatholicis in Galliis inita sunt. Episcoporum plerique pro invaliditate steterunt, cum potestas civilis derogare non posset legibus ecclesiasticis, praecipue vero decreto Tridentino, quod hactenus in sua vi ac robore viguerat in Galliis universis.

Attamen non defuerunt, qui eiusmodi nuptiarum valorem propugnarent ac porro propugnent (28). Permoti autem sunt ad hanc consecrandam sententiam hisce potissimum rationibus: 1. quod revocati fuerint acatholici in statum pristinum, in quo nimirum erant ante edicti Nannetensis revocationem, iam vero antea uti valida illorum habebantur coniugia; ergo valida etiam postea censeri debent; 2. quia ita fert analogia, quae intercedit inter conditionem acatholicorum in Hollandia, pro quibus suam declarationem dedit Benedictus XIV. et eam, in qua inveniuntur acatholici in Galliis, adeoque praesumi debet et ad hos conniventiam Benedictinam esse extendendam; 3. quia cum haeretici in Galliis societatem distinctam a catholicis efficiant cum suis propriis templis ac ministris, censeri debent veluti adepti plenam cultus libertatem, qui proinde coniugia sua iuxta proprias leges celebrare possunt, sin minus licite, saltem *valide*. In hanc sententiam in se spectatam satis inclinatum se profitetur D. Carrière (29).

(28) Quos inter cit. Carrière. n. 1255. allegat D. Labrumie, qui insufficiens nihilominus existimat edictum Ludovici XVI. eo quod non constituerentur protestantes in statu societatis distinctae ab Ecclesia catholica.

(29) Loc. cit.

§ II.

Argumenta proferuntur eorum, qui matrimonia sive mixta, sive acatholicorum inter se, nulla ac irrita esse contendunt, ubi decretum Tridentinum fuit publicatum.

Hactenus auctores recensuimus, qui valorem propugnant coniugiorum, de quibus agimus, et argumenta potiora, quibus sententiam suam statuere adnisi sunt. Id ipsum iam praestemus oportet tum quoad auctores tum quoad fundamenta sententiae negantis valorem eorumdem connubiorum.

Qui igitur nullius plane valoris eiusmodi matrimonia esse contendunt, pariter non pauci sunt: inter quos eminent Pignatelli (30), car. Vincent. Petra (31), Reiffenstuel (32), Lessius (33), Elbel (34), Franc. Schmier (35), Holzmann (36), Bockhn (37), Thenhaven (38), Poncius (39), Tropper (40), Collet (41), aliique magno numero, qui ab iisdem auctoribus allegantur, et qui post eosdem scripserunt usque ad aetatem nostram (42).

(30) *Consultation. canonicar.* tom. V. *consult.* LXXIX. n. 26. seqq. et tom. VIII. *consult.* CIV. n. 2.

(31) *Commentar. ad constitut. apostolic.* Romae 1711. tom. IV. ad constit. XII. Ioannis XXII. n. 24. seqq.

(32) Lib. IV. tit. III. n. 140.

(33) In *Auctuario complectente variorum casuum conscientiae resolutiones* inter eius opuscula, Paris. 1648. ad vocem *Matrimonium* Casus XVII.

(34) *De matrim.* n. 289. et n. 297.

(35) Lib. II. tract. 5. c. 5. sect. 4.

(36) In *Iure canon. practico* ad tit. *De clandestinitat. dispensat.*

(37) Tit. III. n. 55.

(38) In *Nucleo iuris canon.* lib. IV.

(39) *De matr.* lib. V. c. 7. n. 1.

(40) In *Tract. De imped. matrim.* part. II. *De clandestinit.* §. II. n. 536.

(41) *Traité des dispens.* n. LXII.

(42) Non ita pridem in universitate catholica Lovaniensi, nempe an. 1847. docta ac erudita dissertatio prodiit *De matrimoniis mixtis* ab Henric. Io Feye Amstelodamensi, in qua haec eadem sententia solide adstruitur, pars II. §. III et IV.